

rum generibus potest laudari : quonam
igitur potissimum nomine tam bonum ac bene-
ficum principem veneremur ? an fontem in eo
aliquem admirabimur , ex cuius beatissima
ubertate riui beneficiorum innumeri in pau-
peres ac pios deriuabantur ? an solem eum-
dem potius appellare conueniet , bonitatis suæ
ac munificentia radios longissime diffundentem ?
an denique deum in ipso benignissimum agnosce-
mus , de cuius benignitate immensa omnes ho-
mines quandam voluti partem decerpunt.

XIII.

Argumen-
tum peti-
tur Eamdem principis bonitatem ex
loco consequentis celebrare sic licet :
1) a conse. Quam largo autem fœnore collata in egenos ac
quenti. bonos beneficia a benignissimo deo reddantur,
huius præsertim principis exemplo adparuit ;
cuius fortunas ac opes non exhaustas liberali-
tate, sed auctas cognouimus.

XIII.

2) a con- Contrariorum beneficio hoc ita
trariis. præstabitur: Gratulantur sibi tyranni inter
principes, si subiectorum crumenas emulgeant,
si lucri ex re qualibet bonum odorem cum
Vespasiano percipiunt, omnium aduersus se
indignationem & odium concitantes ; maiori
noster virtute & prudentia, nouis quotidie be-
neficiis nouos sibi amicos parabat ; quorum ipse
adfectu & cultu securiorem se longe, quam
omnibus thesauris ac opibus futurum sciebat.

XV.